

alt
10/14/13
Reff

SACRAM MEMORIAM
REGIS SERENISSIMI

h
k
g
625

DIVI
FRIDERICI GVILELMI III.

**VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE
RHENANAE**

CONDITORIS MVNIFICENTISSIMI

AB EADEM VNIVERSITATE DIE III. MENSIS AVGVSTI ANNI CIOCCCCLV.

HORA XI.

PIE CELEBRANDAM

VICTORYMQVE RENVNTIATIONEM E LITTERARVM CERTAMINIBVS PRODEVNTIVM

INDICIT

BERNARDVS IOSEPHVS HILGERS

ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM H. A. DECANVS.

PRAEMISSA EST DE HERMETIS TRISMEGISTI POIMANDRO COMMENTATIO.

BONNAE

LITTERIS C. GEORGIANIS.

SACRAMENTUM MEMORIAM

REGIS SEPTENNIISSIMI

1711

FRIDERICUS CAROLUS III.

FRIDERICUS CAROLUS III.

FRIDERICUS

FRIDERICUS CAROLUS III.

FRIDERICUS CAROLUS III.



FRIDERICUS CAROLUS III.

FRIDERICUS

FRIDERICUS CAROLUS III.

FRIDERICUS CAROLUS III.

FRIDERICUS CAROLUS III.

FRIDERICUS

FRIDERICUS CAROLUS III.

Eorum, qui Hermetis trismegisti nomine feruntur, librorum notissimus est ille, qui Ποιμάνδρος inscriptus primum anno 1520 a Marsilio Ficino, deinde iterum ac saepius, anno denique superiori a Partheyo (Berolini in libraria Fr. Nicolai) typis mandatus est. Erat enim in huius libri argumento nescio quid arcanum, quod Theologorum Philosophorumque in se convertebat animos, erat praeterea orationis quaedam obscuritas, quae ad interpretandi artem factitandam incitabat; neque vero hac ipsa libri indole non factum est, ut magna non solum de argumento, verum etiam de iis rebus, quae non nisi ex argumento disceptari possunt, inter viros eruditos existeret dissensio. Ad argumentum quod attinet, christianae doctrinae praeceptis consentaneum illud esse, ideoque veritate fundatum, primi editores non dubitabant. Albertus Patricius enim ex Hermetis tum libellis tum fragmentis piam erga Deum Philosophiam apparere, longeque consultius et utilius christianis hominibus futurum esse arbitratur, si Hermetis dogmata potius quam aristotelica, quae ubique magna scaterent impietate, in scholis publicis legerentur. Eadem, ut non dicam maiori, observantia colebat Hermetem Franciscus Flussas Candalla, qui, quum Poimandrum Hermeti divina mysteria aperientem pro supremo numine ipso habere non dubitaverit, decretis ab eo acceptis

inferiorem, quam doctrinae christianae, vix potuit tribuere auctoritatem. Termaximum enim Hermetem praedicat his verbis: „Qui praeter eos omnes, qui hactenus de divina essentia et natura disseruerunt, rerum divinarum notitiam assecutus est, nec solum eam, quae prioribus tam foelicis copulae Christi cum homine paranympsis a summo Deo revelata est: sed etiam eam, quae intimis ipsius Christi sequacibus cernentibus et astantibus vix agnita fuit. Quam non minus praeclare descripsit, quam si a Servatoris corporeo consortio a cunabulis edoctus esset. Nimirum hic unus inter eos, qui olim divinitus inspirati sunt, de omnipotentis dei essentia sollerti admodum colloquio quamplura detegit, mundi facturam, hominis ad dei imaginem ac similitudinem opificium, eiusdem insuper tantae miseriae lapsum, huius denique lapsus amplioris foelicitatis medelam, undique deum incorporeum, ac extra materiam sciscitandum edocet. At si exigua sint haec, et antiquos divini nutus nuncios nihilo antecellentia, aderunt quam plura, quae a Mose, prophetis ac quibusvis Christi patefactionem praecedentibus silentio, praetermissa sunt, Mercurio huic termaximo patefacta.“ — Sed ab hac, quam stabilem firmamque habebant viri docti, sententia discessit Moehlerus. In Patrologia enim (p. 954), quo loco Hermetici libri mentionem facit, contineri eo affirmat errores, quos de industria ab auctore vult insertos esse et eo quidem consilio, ut, dum erat homo christianus, alienus a christiana religione putaretur.

Nec minus, qui in libro hermetico tractando versati sunt, inter se dissentiunt de eius auctore ac de tempore, quo scriptus sit. Alii enim, ut Virgicius, Flussas, Patricius, Mosis illum aetati, alii Iamblichi et Porphyrii tempori attribuerunt; Isaacus Casaubonus vero ineunte saec. II. a christiano vel potius

semichristiano scriptum esse arbitratur: in cuius sententiam quoque discedit Moehlerus.

Rem denuo in disputationem vocaturo mihi vera disputandi ratio videtur esse ea, prae caeteris ut libri argumentum, et quaenam ei sit cum christianae religionis praeceptis necessitudo, exponam. At vero de hac re nihil pro certo affirmari potest, priusquam de libri ambitu ad liquidum perventum sit, de quo non unum idemque sentiunt editores. Ex Ficini enim sententia liber quatuordecim capita complectitur, quorum suam quodque habet inscriptionem *). Angustioribus autem terminis circumscribendum esse librum vult Patricius, et ita quidem, ut, quod est ex Ficini divisione caput primum, ipse sit integer libellus „Poimander“ inscribendus. Reliqua vero tredecim capita totidem libellos arbitratur esse singulares. Et nobis vix unquam persuadebitur, partes hos esse libelli „Poimander“ inscripti, tum quia — quod iam monuit Patricius — nullam illius mentionem faciunt, neque ab eo pendent ordine dogmatum, neque connexionem ulla, tum quia habitu et institutione ab illo magnopere differunt. In iis enim Hermes praeceptoris munere fungens disserit de rerum natura aliisque, quae sunt de Philosophia, quid ipse sentiat; in „Poimandro“ vero a supremo

*) 1) Ποιμάνδρης. 2) πρὸς Ἀσκληπιὸν λόγος καθολικός. 3) λόγος ἱερός. 4) πρὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν Τὰτ λόγος ὁ κρατὴρ μονάς. 5) πρὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν Τὰτ, ὅτι ἀφανὴς ὁ θεὸς φανερώτατός ἐστιν. 6) ὅτι ἐν μόνῳ τῷ θεῷ τὸ ἀγαθὸν ἐστίν, ἀλλαχόθι δὲ οὐδαμοῦ. 7) ὅτι μέγιστον κακὸν ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἡ περὶ τοῦ θεοῦ ἀγνωσία. 8) ὅτι οὐδὲν τῶν ὄντων ἀπόλλυται ἀλλὰ τὰς μεταβολὰς ἀπωλείας καὶ θανάτους πλανώμενοι λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι. 9) περὶ νοήσεως καὶ αἰσθήσεως καὶ ὅτι ἐν μόνῳ τῷ θεῷ τὸ καλὸν καὶ τὸ ἀγαθὸν ἐστίν, ἀλλαχόθι δὲ οὐδαμοῦ. 10) κλείς, πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Τὰτ. 11) Νοῦς πρὸς Ἑρμῆν. 12) περὶ νοῦ κοινοῦ πρὸς Τὰτ. 13) πρὸς τὸν υἱὸν Τὰτ ἐν ὅρει. λόγος ἀπόκρυφος περὶ παλιγγενεσίας καὶ σιγῆς ἐπαγγελίας. Τμνωδία κρυπτή. 14) Ἀσκληπιῷ εὐ φρονεῖν.

numine ipse edocetur, ita ut discipuli personam narratorisque negotium suscipiat.

De libro igitur angustioribus iam finibus circumscripto agitur, atque non nisi quae eo continentur sunt explicanda. Exordiamur autem ab iis, quae de Deo aperuit Poimander. Qui Hermeti interroganti: „Tu vero quis es“? Ἐγὼ μὲν, inquit, εἰμὶ ὁ Ποιμάνδρης, ὁ τῆς αὐθεντίας νοῦς, οἶδα δὲ ὃ βούλει καὶ σύνειμί σοι πανταχοῦ. Insuper mens Deus pater dicitur eique verbum (ὁ λόγος) adiungitur utpote Dei filius his quidem verbis: Τὸ φῶς ἐκεῖνο, ἔφη, ἐγὼ εἰμι νοῦς ὁ σὸς θεός, ὁ πρὸ φύσεως ὑγρᾶς τῆς ἐκ σκοτόντος φανείσης· ὁ δὲ ἐκ νοῦς φωτεινὸς λόγος, υἱὸς θεοῦ. Τί οὖν; φημί. Οὕτω γινώδι· τὰ ἐν σοὶ βλέπον καὶ ἀκοῶν, λόγος κυρίου, ὁ δὲ νοῦς πατὴρ θεός. Quibus auctorem se nullo pacto christianae doctrinae adversarium profiteri, nemo est quin videat. Neminem enim christianum latet, hoc ipso vocabulo verbum a Iohanne Evangelista quoque nominari Dei filium, neminique Theologorum ignotum est illud Augustini: „mens, notitia et amor in nobis prae se ferunt Trinitatis imaginem, per mentem Deum patrem, per notitiam Dei filium, per amorem vero Deum spiritum intelligendum“. (Cfr. de trin. IX. 4.) Sed nimium efficeret is, qui his adductus vocabulis ab auctore usurpatis arbitrari vellet, christianae disciplinae eum fuisse addictum. Constat enim ab iis, qui Platonem secuti sunt, ut a Philone (cf. opp. ed. Mangey tom. I. p. 501.), Iamblichō (de myst. aegypt. sect. VIII. c. 2.) iisdem, vocabulis Deum nominari. Sed quid opus est exemplis? — Fac non reperiri apud Philosophos vocabula ista, ex eo, quod „Poimandri“ auctor usurpasset ea, ad summum novisse hunc christianam de trinitate doctrinam, minime vero christianae disciplinae fuisse sectatorem, efficeretur.

At vero ubi de vinculo, quo pater filiusque inter se iuncti

sint, disputatur, auctor videri possit, aut ipse christianus esse, aut sententiam proponere christianae de trinitate doctrinae prorsus consentaneam. De vinculo illo autem haec habet Poimander: οὐ γὰρ διίστανται ἀπ' ἀλλήλων· ἑνώσις γὰρ τούτων ἐστὶν ἡ ζωή. In interpretandis his verbis Flussatem si sequimur, vita illa, qua uniuntur pater filiusque, ipsa est essentia divina, atque gravissima illa de personarum in Deo diversitate deque essentiae unitate doctrina accurate est proposita. „Si unum tantum“, inquit „in divinis esset suppositum, sive una persona, proculdubio non dixisset Mercurius prudentissimus: Horum autem etc. si autem diversa esset utrisque substantia, sive essentia; nec puto unquam eum fuisse dicturum: Horum unio vita est, ubi unam, eandemque vitam utrisque concessit. Igitur, Poimander eiusque verbum unam vitam atque essentiam habent.“ Verum enimvero Flussatem in hac argumentatione sequi haud possumus, quum in Poimandri verbis eam sententiam, quam iis subiicit ille, re vera non inesse censeamus. Alio enim loco Poimander hominem, quippe ex vita divina natum, ex vita constare inque vitam transire docet, ex quo, quid vitam ille dicat, colligitur; minime enim hac voce designat Dei substantiam sive essentiam, sed vim illam ex Deo emanantem, quae ex Philosophorum sententia insit hominibus, animalibus plantisque. Id unum hoc loco apparet, auctorem non ignorare Iohannis Evangelium. Quid autem inde sequitur? Nihil sane, quo esse christianum eum probetur. Nonne D. Augustinus, ut et Flussas monet, multorum Platoniorum mentionem facit, Evangelium Iohannis qui non solum novissent, sed etiam magni aestimassent? Nonne Simplicianum narrat ex sententia cuiusdam Platonici retulisse, Ev. Iohannis aureis litteris inscribendum esse supra omnium templorum ianuas? Nonne se legisse

refert in libro cuiusdam Platonici totum illud Evangelium praeter: et verbum caro factum est?

Sed alius reperitur in libello locus, quem, quum de consubstantialitate patris et filii dogma vocabulo, ecclesiastica definitione sancito, exhibere videatur, a Flussate praetermissum esse miror. Locus autem hic est: Ἐπήδησεν εὐθὺς ἐκ τῶν καταφερῶν στοιχείων ὁ τοῦ θεοῦ λόγος εἰς τὸ καθαρόν τῆς φύσεως δημιουργημα, καὶ ἠνώδη τῷ δημιουργῷ νῶ ὁμοούσιος γὰρ ἦν. καὶ κατελείφθη τὰ ἄλογα τὰ καταφερῇ τῆς φύσεως στοιχεῖα, ὡς εἶναι ὕλην μόνην. Quem Partheyus haud recte vertit: „exiliit statim ex deorsum latis elementis dei verbum in purum naturae opificium et unitum est opifici menti; consubstantialis enim erat,” ita ut vocem consubstantialis (ὁμοούσιος) ad nomen mens (νοῦς) referat. Sic enim interpretari vetamur et orationis ingressu et enuntiatorum contextu, ex quibus ὁ λόγος est pars, de qua agitur, subiectiva: quod quoque perspectum se habuisse testatur Flussas, quum recte interpretetur: „verbum coniunctum est opifici menti. Consubstantialia enim erat.” Quae verba, quum verbum consubstantialia esse Deo patri asseverent, si ipsius auctoris essent, facile nos adducere possent, ut christianum hunc esse opinaremur. Si, inquam, ipsius auctoris verba essent: quod quidem non una de causa dubium mihi esse videtur. Moehlero iam libellus visus est multiplici accessione locupletatus, et profecto, si quidquam, enuntiatum id: ὁμοούσιος γὰρ ἦν interpositionis prae se fert speciem. Primum enim praeter opinionem in libello, cuius argumentum a christiana disciplina alienum se praebet, offertur vocabulum, quod ante saec. IV. rarissimum inventu erat, atque ex concilio demum Nicaeno I. huiusque ipsius auctoritate ita in usum venisse constat, ut fides eo orthodoxa significaretur. Deinde qui enuntiatum ipsum, quomodo cum iis, quae ante-

cedunt et quae sequuntur, sit coniunctum, diligenter consideraverit, glossam illud redolere nemo diffitebitur.

De eo autem, qui ex christiana doctrina tertium in trinitate locum obtinet spiritusque sanctus nominatur, paucis dicit Poimander, et hisce quidem verbis: Ὁ δὲ νοῦς ὁ θεὸς ἀρρενόδηλος ὢν, ζωὴ καὶ φῶς ὑπάρχων, ἀπεκύησε λόγῳ ἑτερον νοῦν δημιουργόν, ὃς θεὸς τοῦ πυρὸς καὶ πνεύματος ὢν ἐδημιούργησε διοικητὰς τινὰς ἑπτὰ, ἐν κύκλοις περιέχοντας τὸν αἰσθητὸν κόσμον, καὶ ἡ διοίκησις αὐτῶν εἰμαρμένη καλεῖται. Procreatum ergo esse illum ignis spiritusque Deum a Deo patre, utpote a marifemina, verbi ope docet Poimander, et eo quidem consilio procreatum, ut septem ab ipso circularum rectores constituerentur. Quae sententia, utrum quid offensio- nis Christiano afferat nec ne, si quaeritur, singulas eius partes examinemus oportet. Primum igitur si deus ignis et spiritus illud tertium nominatur, offendere hoc propterea non potest, quod iisdem vocabulis in sacris litteris τὸ πνεῦμα appellatur. Atque vel ipsum illud „ὁ δὲ νοῦς ὁ θεὸς ἀρρενόδηλος ὢν“ ferendum esse, Flussati, qui sub voce ἀρρενόδηλος sententiam translata sub- iicit, largiamur. At vero prorsus reprobanda videtur ista sen- sentia, ex qua Deus spiritus non ab aeternitate a patre filioque procedat, sed factus sit quondam, per quem septem circularum rectores formarentur. Non ignoramus quidem, patres graecos, apologeticos quos dicunt quosque verae fidei defensores colunt observantque omnes, processionem illam explicantes vocabulis uti, quibus eandem, quam de spiritu divino tradit Poimander, de processione filii ex patre profiteri sententiam videantur. Vi- dentur sane, quum inter λόγον ἐνδιάθετον et λόγον προφορικὸν distin- guant, Poimandri sententiae favere. Sed rem acrius nobis in- tuentibus maxime inter sese Patrum discrepare et Poimandri dicta patebit. In eorum enim scriptis loci reperiuntur illustres,

quibus, quid distinctio illa, a Philone procul dubio assumpta, sibi velit, ita explicatur, ut, si forte quid offensionis per se habeat, id omnino ei detrahatur; in nostro autem libello locos eiusdem indolis deprehendere frustra conaberis.

Iam vero transeamus ad ea, quae de mundi satu atque ortu a Poimandro aperiuntur: quae, si diligentius perscrutamur, non nisi ex parte doctrinae christianae praeceptis consentanea esse videntur. Sequitur is quidem, ut liquet, Platonem et, qui a Platone profecti sunt, Philosophos in eo, quod de archetypa forma opifici menti ab aeterno inhaerente, hoc est de mundo, idealem quem vocant, his docet: *Εἶδες ἐν τῇ νῶ τὸ ἀρχέτυπον εἶδος τὸ προὔπαρχρον τῆς ἀρχῆς ἀπεράντου. ταῦτα ὁ Ποιμάνδρης ἐμοί. Ταῦ οὖν, ἐγὼ φημι, στοιχεῖα τῆς φύσεως πόθεν ὑπέστη; Πάλιν ἐκεῖνος πρὸς ταῦτα. Ἐκ βουλῆς Θεοῦ, ἥτις λαβοῦσα τὸν λόγον, καὶ ἰδοῦσα τὸν καλὸν κόσμον, ἐμιμήσατο, κοσμοποιηθεῖσα διὰ τῶν ἐαυτῆς στοιχείων καὶ γεννημάτων ψυχῶν.* Neque non cum Platone est, si Hermeti interroganti: *τὰ οὖν στοιχεῖα τῆς φύσεως πόθεν ὑπέστη;* respondet: *Ἐκ βουλῆς Θεοῦ κτλ.* v.s., quo platoniam illam de mundo ex materiae elementis ad exemplar illud condito sententiam profitetur. In eo autem, quod naturae elementa non casu aut fortuna, non ex aliqua materia, non aliis opificibus accedentibus, sed sola Dei voluntate constituta esse docet, ut a Platone ceterisque antiquis Philosophis discedit Poimander, ita omnino convenit cum doctrinae christianae praeceptis. Naturam quidem, humidam quam dicit, ex tenebris prodiisse affirmat; unde quis fortasse tenebras ex auctoris sententia pro re quadam non creata ideoque aeterna habendas esse suspicetur. Qua tamen ex suspitione, quamvis non prorsus inani, nemo cogere poterit, mundum ex Poimandri sententia non de nihilo esse creatum. Is enim tenebras pro re quadam vera non habuit, sed cogitata luce eas tanquam

luci contrarias cogitatione sibi finxit necessitate quadam ex mentis humanae legibus imposita.

Neque de mentis humanae creatione quidquam in medium protulit Poimander, quod non posset ab homine christiano probari. Ad Dei quidem imaginem creatum esse hominem, omniumque rerum potestatem ac dominatum a Deo ipsi esse delatum his docet: Ὁ δὲ πάντων πατήρ ὁ νοῦς, ὃν ζωὴ καὶ φῶς, ἀπεκύ-
ησεν ἄνθρωπον ἑαυτῷ ἴσον, οὗ ἡράσθη ὡς ἰδίου τόκου· περικαλλὴς γὰρ ἦν, τὴν
τοῦ πατρὸς εἰκόνα ἔχων. ὄντως γὰρ καὶ ὁ θεὸς ἡράσθη τῆς ἰδίας μορφῆς, καὶ
αὐτῇ παρέδωκε τὰ ἑαυτοῦ πάντα δημιουργήματα. Hanc sententiam dili-
genter qui consideraverit, ex V. T. litteris, quasi ex suo fonte, eam manasse coniiciet, atque, ut alibi saepius, ita hoc loco vi-
demus auctorem applicare sese Philoni, iudaeo, qui doctrinam de homine ad Dei imaginem creato in suam disciplinam ex-
pressis verbis recepit. Una cum Philone autem in eo, quod de hominis lapsu docet, a doctrina in litteris. V. T. hac de
de re tradita discedit, et longius quidem discedit, quam Philo; affirmat enim, hominem a lege, qua factus erat, defecisse eo, quod Dei mentis ad instar condere (δημιουργεῖν) voluerit seque verterit a divino Patre in rerum creaturarum considerationem. Sui ipsius imaginem spectando delectatus cum ea habitare vo-
luit atque cum, quod voluit, factum sit, forma prodiit ratione carens, quae, commistis naturae elementis, corpus effecit huma-
num. Κατανοήσας, inquit, κατανοήσας δὲ τὴν τοῦ δημιουργοῦ κτίσιν ἐν τῷ
πατρὶ, ἡβουλήθη καὶ αὐτὸς δημιουργεῖν. καὶ ἀπεχωρίσθη ἀπὸ τοῦ πατρὸς, γενό-
μενος ἐν τῇ δημιουργικῇ σφαίρᾳ· ἔχων τὴν πᾶσαν ἐξουσίαν κατενόησε τῶν ἀδελ-
φῶν τὰ δημιουργήματα. οἱ δὲ ἡράσθησαν αὐτοῦ· ἕκαστος δὲ μετεδίδου τῆς ἰδίας
τάξεως. καὶ καταμαθὼν τὴν τούτων οὐσίαν, καὶ μεταλαβὼν τῆς αὐτῶν φύσεως
ἡβουλήθη ἀναρρῆξαι τὴν περιφέρειαν τῶν κύκλων, καὶ τὸ κράτος τοῦ ἐπικειμένου
ἐπὶ τοῦ πυρὸς καταπονῆσαι. Καὶ ὁ τῶν θνητῶν τοῦ κόσμου ζῶων καὶ τῶν ἀλό-

γων ἔχων πᾶσαν ἐξουσίαν διὰ τῆς ἀρμονίας παρέκλυεν, ἀναρρήξας τὸ κράτος τῶν κύκλων καὶ ἔδειξε τῇ κατωφερεῖ φύσει τὴν καλὴν τοῦ Θεοῦ μορφήν. ἦν ἰδοῦσα ἀκόρεστον κάλλος καὶ πᾶσαν ἐνέργειαν ἐν ἑαυτῇ ἔχουσαν τῶν ἑπτὰ διοικητόρων τὴν τε μορφήν τοῦ Θεοῦ ἐμειδίασεν ἔρωτι, ὅτε τῆς καλλίστης μορφῆς τοῦ ἀνθρώπου τὸ εἶδος ἐν τῷ ὕδατι ἰδοῦσα, καὶ τὸ σκίασμα ἐπὶ τῆς γῆς. ὁ δὲ ἰδὼν τὴν ὁμοίαν αὐτῷ μορφήν, ἐν ἑαυτῷ οὖσαν, ἐν τῷ ὕδατι, ἐφίλησε καὶ ἠβουλήθη αὐτῇ συνοικεῖν· ἅμα δὲ τῇ βουλῇ ἐγένετο ἐνέργεια, καὶ ἐκύησε τὴν ἄλογον μορφήν. ἡ δὲ φύσις λαβοῦσα τὸν ἐρώμενον περιεπλάκη ὅλη καὶ ἐμίγησαν· ἐρώμενοι γὰρ ἦσαν καὶ διὰ τοῦτο παρὰ πάντα τὰ ἐπὶ γῆς ζῶα διπλοῦς ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος, θνητὸς μὲν διὰ τὸ σῶμα, ἀθάνατος δὲ διὰ τὸν οὐσιώδη ἄνθρωπον· ἀθάνατος γὰρ ὢν καὶ πάντων τὴν ἐξουσίαν ἔχων, τὰ θνητὰ πάσχει ὑποκείμενα τῇ εἰμαρμένῃ· ὑπεράνω οὖν ὢν τῆς ἀρμονίας, ἐναρμόνιος γέγονε δοῦλος. ἀρρενόδηλος δὲ ὢν, ἐξ ἀρρενοδήλεος ὢν πατρός, καὶ αὐπνος ἀπὸ ἀύπνου κρατεῖται. **Materiam quidem sive corpus materiale, quippe a Deo creatum, quamquam pro malo per se habere non potuit Poimander, imperfectum quid tamen illud esse, salva sua constantia, potuit affirmare, et nimirum hoc quum affirmasset, consentaneus sibi in eo quoque fuit omnino, quod ex animae cum corpore coniunctione atque commercio hominis servitutem deduxit atque mortalitatem.**

Quae de corporis et animae vinculo deque vi, quam corpus in animam habeat, aperit Poimander, iis conveniens est eius de veri rectique lege deque hominis ascensu sententia. Postulatur enim ex hac lege, ut homo cognoscat se ipsum, cognoscat prae caeteris, se esse immortalem mortisque causam esse corporis amorem: quae postulata nisi Deo iuvante facere nemo potest. Ὁ δὲ Θεὸς εὐθὺς, inquit, εἶπεν ἀγίῳ λόγῳ, ἀυξάνεσθε ἐν αὐξήσει καὶ πληθύνεσθε ἐν πλήθει, πάντα τὰ κτίσματα καὶ δημιουργήματα· καὶ ἀναγνωρισάτω ὁ ἔννοος ἑαυτὸν ὄντα ἀθάνατον καὶ τὸν αἰτίον τοῦ θανάτου ἔρωτα σώματος, καὶ πάντα τὰ ὄντα. . . παραγίνομαι αὐτὸς ἐγὼ ὁ νοῦς τοῖς ὁσίοις καὶ ἀγαθοῖς καὶ καδαροῖς καὶ ἐλεήμοσι τοῖς εὐσεβῶς βιοῦσι. καὶ ἡ παρουσία μου γίνεται βοήθεια,

καὶ εὐθὺς τὰ πάντα γνωρίζουσι καὶ τὸν πατέρα ἰλάσκονται ἀγαπητικῶς, καὶ εὐχαριστοῦσιν εὐλογοῦντες καὶ ὑμνοῦσι τεταγμένοι πρὸς αὐτὸν τῇ στοργῇ· καὶ πρὸ τοῦ παραδοῦναι τὸ σῶμα ἰδίῳ θανάτῳ μυσταττονται τὰς αἰσθήσεις εἰδότες αὐτῶν τὰ ἐνεργήματα· μᾶλλον δὲ οὐκ ἐάσω αὐτὸς ὁ νοῦς τὰ προσπίπτοντα ἐνεργήματα τοῦ σώματος ἐκτελεσθῆναι· πυλωρὸς γὰρ ὢν ἀποκλείσω τὰς εἰσόδους τῶν κακῶν καὶ αἰσχυρῶν ἐνεργημάτων τὰς ἐνδυμήσεις ἐκκόπτων. τοῖς δὲ ἀνοήτοις καὶ κακοῖς καὶ πονηροῖς καὶ πλεονέκταις καὶ φρονεῦσι καὶ ἀσεβέσει πόρρωθέν εἰμι, τῷ τιμωρῷ ἐκχωρήσας δαίμονι, ὅστις τὴν ὀξύτητα τοῦ πυρὸς προσβάλλων θρώσκει αὐτοὺς αἰσθητικῶς καὶ μᾶλλον ἐπὶ τὰς ἀνομίας αὐτοὺς ὀπλίζει, ἵνα τύχωσι μείζονος τιμωρίας· καὶ οὐ παύεται ἐπ' ὀρέξεις ἀπλέτους τὴν ἐπιθυμίαν αὐτῶν κινῶν ἀκορέστως ὥς ἐν σκοτομαγίᾳ καὶ οὕτω βασανίζει, καὶ ἐπ' αὐτοὺς πῦρ ἐπὶ πλεῖον αὐξάνει. **Quum vero Poimander auxilium illud divinum bonis quidem conferri, malis autem negari dicat, quaeratur, necesse est, qua ratione, num arbitrio suo num merito ii, quales sunt, facti sint; ad quam vero quaestionem non respondit Poimander. Ad hominis ascensum quod attinet, hunc dicit Poimander incipere a commutatione corporis in eo posita, ut, materialibus elementis secretis, redeat illud in formam sensum effugientem. Una cum corpore vero sunt inferioris animae (τῆς ψυχῆς) facultates, animus (ὁ θυμὸς) et concupiscentia (ἐπιθυμία), ab ascensu prorsus exclusae, abeuntque in naturam ratione carentem. Mens autem hominis h. e. homo superior, quem Philo ἔνδον sive εἶσω ἄνθρωπον vocabat, revertitur per harmoniam, exuit, dum per singulas zonas evolat, malas, quae in eum per easdem olim descendentem adhaeserunt, artes, pervenit ad octavam naturam, unde cum sociis demum ad Deum patrem, qui est Potentiis circumfusus, super octavam naturam ascendit. Sed en ipsa verba Poimandri:** πρῶτον μὲν ἐν τῇ ἀναλύσει τοῦ σώματος τοῦ ὑλικοῦ παραδίδωσιν αὐτὸ τὸ σῶμα εἰς ἀλλοίωσιν, καὶ τὸ εἶδος, ὃ εἶχες, ἀφανὲς γίνεται καὶ τὸ ἦθος τῷ δαίμονι ἀνενέργητον παραδίδωσι, καὶ αἱ

αἰσθήσεις τοῦ σώματος εἰς τὰς ἑαυτῶν πηγὰς ἐπανέρχονται μέρη γινόμενα καὶ πάλιν συνιστάμεναι εἰς τὰς ἐνεργείας. καὶ ὁ θυμὸς καὶ ἡ ἐπιθυμία εἰς τὴν ἄλογον φύσιν χωρεῖ. καὶ οὕτως ὁρμᾷ λοιπὸν ἄνω διὰ τῆς ἁρμονίας, καὶ τῇ πρώτῃ ζώῃ δίδωσι τὴν αὐξητικὴν ἐνεργειαν καὶ τὴν μειωτικὴν καὶ τῇ δευτέρᾳ τὴν μηχανὴν τῶν κακῶν, καὶ τὸν δόλον ἀνενέργητον. καὶ τῇ τετάρτῃ τὴν ἀρχοντικὴν ὑπερηφανίαν ἀπλεονέκτητον καὶ τῇ πέμπτῃ τὸ θράσος ἀνόσιον καὶ τῆς τόλμης τὴν προπέτειαν, καὶ τῇ ἕκτῃ τὰς ἀφορμὰς τὰς κακὰς τοῦ πλούτου ἀνενεργήτους καὶ τῇ ἑβδόμῃ ζώῃ τὸ ἐνεδρεῦον ψεῦδος. καὶ τότε γυμνωθεὶς ἀπὸ τῶν τῆς ἁρμονίας ἐνεργημάτων γίνεται ἐπὶ τὴν ὀγδοατικὴν φύσιν τὴν ἰδίαν δύναμιν ἔχων, καὶ ὑμνεῖ σὺν τοῖς οὖσι τὸν πατέρα. συγχαίρουσι δὲ οἱ παρόντες τῇ τοῦτου παρουσίᾳ, καὶ ὁμοιωθεὶς τοῖς συνοῦσιν ἀκούει καὶ τῶν δυνάμεων ὑπὲρ τὴν ὀγδοατικὴν φύσιν οὐσῶν φωνὴν τινὴ ἡδεῖαν ὑμνουσῶν τὸν θεόν. καὶ τότε τάξει ἀνέρονται πρὸς τὸν πατέρα, καὶ αὐτοῦ εἰς δυνάμεις ἑαυτοὺς παραδιδόασιν, καὶ δυνάμεις γεγνημένοι ἐν θεῷ γίνονται. τοῦτό ἐστι τὸ ἀγαθὸν τέλος τοῖς γινώσκουσιν ἐσχηκόσι θεωθῆναι. λοιπὸν τί μέλλεις; οὐχ ὥς πάντα παραλαβὼν καδοδηγὸς γίνῃ τοῖς ἀξίοις, ὅπως τὸ γένος τῆς ἀνθρωπότητος διὰ σοῦ ὑπὸ θεοῦ σωθῇ; **Exoptatissimum esset, si de Potentiis, divini patris quasi comitibus, uberius dixisset Poimander, quippe qui non nisi aliud agendo eas commemoret. Id tamen ex paucis, si non omnino certum, veresimillimum quidem fit, auctorem religionis Philosophiae, alexandrina quae vocatur, amplexum esse praecepta.**

Summis igitur rerum a Poimandro propositarum capitibus explanatis de libelli auctore deque tempore, quo compositus sit, reliquum est, ut quaestionem instituamus, quam his praemissis fore ut, quantum omnino fieri potest, accurate simus expedituri licet sperare. Primum monendum est, in argumento nihil prorsus reperiri, quod auctorem re vera fuisse christianum indicet. Ut enim, quae de peccato originali ac de redemptione christianae religioni propria sunt, dogmata in libello desiderantur, ita complures traduntur opiniones, quae cum

doctrinae christianae praeceptis pugnant. Opinatur quidem Moehlerus, auctorem, qui a christiana disciplina se alienum simulaverit, consulto inseruisse errores a semet ipso reprobatos. Sed hanc Moehleri opinionem comprobare haud possumus. Non enim habuit iste, cur fraude uteretur, nisi ut Ethnicorum animos Christi disciplinae conciliaret, quod quidem male, ut patet, eo assequi conatus esset, quod pro dogmatis, quae reticuisset, christianis Philosophorum placita, a christiana doctrina aliena, praedicaret. Itaque statuendum est, auctori innotuisse doctrinam christianam, innotuisse imprimis Iohannis Evangelium Paulique epistolas; sed quomodo quidquam praeterea coniicias et confirmes, equidem non video.

Cognitionem vero sacrorum N. T. librorum fuisse auctori, Moehlerus propterea extra dubium positum esse putabat, quod Iohannis Evangelii Cap. XVII. 2. in libello in medium prolatum reperire sibi videbatur. At vero locos, quos argumento esse vult, si inter se comparaverimus, non solum verbis sed etiam sententiis magnopere inter se dissidere patebit. In Evangelio Iohannis legimus I. c.: καὶ ὡς ἔδοξας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. In nostro autem libello, quae iis quodammodo similia inveniuntur, verba haec sunt: εὐλόγητος εἰ πάτερ· ὁ σὸς ἄνθρωπος συναγιάζειν σοι βούλεται καὶ ὡς παρέδωκας αὐτῷ τὴν πᾶσαν ἐξουσίαν. In Evangelio Salvator de filio Dei loquens in ipsum omnem potestatem dicit esse collatam; Poimander vero de ea, quae homini ab initio a Deo data est, potestate loquitur. Et quod ad verba attinet, eorum aequalitas ita comparata non est, ut nos impediat, ne fortuito exstitisse ipsam censeamus. Utcunque vero se res habet, libros sacros notos fuisse auctori extra dubium positum est non solum documentis antea a nobis allatis, sed etiam quam plu-

rimis aliis signis, quae facilius intelligi quam explanari possunt.

Atque, quum res ita se habeat, „Poimandri“ auctorem post Apostolorum tempora vixisse statuendum est; neque libellus post Iustini Martyris aetatem quippe ab hoc ipso laudatus in lucem emissus putari potest. Eodem ergo fere tempore conscriptum eum esse, quo Hermae „Pastor“ prodiit, facile coniicimus. Mira sane est praeter inscriptionum similitudinem aequalis utriusque libelli institutio. Ut enim in utroque Pastor (ποιμήν) est praeceptor divinus, in altero Deus ipse in altero Angelus quidam, qui divina mysteria latius efferenda patefaciat; ita in utroque omnis eo instituta est oratio, ut ad meliorem frugem vitamque aeternam homines reducantur. Nam Hermetem admonet Poimander, ut ducem se praebeat hominibus: τί μέλλεις; inquit, οὐχ ὡς πάντα παραλαβὼν καθοδηγὸς γίνῃ τοῖς ἀξίοις, ὅπως τὸ γένος τῆς ἀνθρωπότητος διὰ σοῦ ὑπὸ θεοῦ σωθῇ; atque eodem modo Pastor Hermam alloquitur; „viriliter,“ inquit, „in ministerio hoc conversare. Omni homini indica magnalia Dei, et habebis gratiam in hoc ministerio. Quicumque ergo in his mandatis ambulaverit, vivet, et felix erit in vita sua“. Sunt autem hae res eiusmodi, ut iis commoti hos duos libellos, sicut uno eodemque fere tempore compositos putamus, ita alterum alteri consulto oppositum esse coniectura sane probabili suspicemur. Quae denique de „Poimandri“ auctore, qualis fuerit, dicenda sint, in pauca conferri licebit; quod quo facilius perficeremus, disputatione praemissa via a nobis munita est. Habemus enim exploratum, non fuisse illum Christi disciplinam, sed Neoplatonicos, quos vocant, et in his plerumque Philonem, iudaeum, secutum, quorum placita propositionibus ex sacris litteris petitis emendare atque confirmare sit conatus. Propius

autem ad veritatem accedemus, locum ex nostro libello ducem si sequemur, quo Hermes, a Poimandro edoctus, sibi aperta aliis se retulisse his verbis, enarrat: Οἱ δὲ παρεκάλουν διδασκῆναι ἑαυτοῖς πρὸ ποδῶν μου ῥιψαντες· ἐγὼ δὲ ἀναστήσας αὐτοὺς κακοδηγὸς ἐγενόμην τοῦ γένους τοῦ ἀνθρωπίνου, τοὺς λόγους διδάσκων, πᾶς καὶ τίνι τρόπῳ σωθήσονται· καὶ ἔσπειρα αὐτοῖς τοὺς τῆς σοφίας λόγους καὶ ἐτράφησαν ἐκ τοῦ ἀμβροσιοῦ ὕδατος· ὁψίας δὲ γενομένης καὶ τῆς τοῦ ἡλίου αὐγῆς ἀρχομένης δύεσθαι ὅλης ἐκέλευσα αὐτοῖς εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ καὶ ἀναπληρώσαντες τὴν εὐχαριστίαν ἕκαστος ἐτράπη εἰς τὴν ἰδίαν κοίτην. Quibus Hermeti h. e. libelli auctori persona imponitur moderatoris asceticae cuiusdam societatis, cuius mos erat, ad vesperam, occidente sole, comuniter precari; et profecto hoc illud est, quod nobis hominum genus significat, cui auctorem nostrum addicendum esse statuamus. Ut statim dicam, quod sentio: Therapeutarum sectae assectatorem se praebet auctor; cuius rei testis est mos ille, quem Therapeutis in usu fuisse constat, testis sententiarum in libello propositarum cum Philonis iudaei, Therapeutarum patroni, doctrinis necessitudo, testis denique Therapeutarum vivendi rationis cum Poimandri praeceptis convenientia.

A

— 11 —

Atque haec prolusimus more academico antiquitus sancito, ut ea solennia indiceremus, quibus pia memoria Principis desideratissimi recolenda est divi **FRIDERICI GVILELMI III., REGIS NOSTRI CLEMENTISSIMI.** Pietatis interpres erit vir facundissimus **LVDOVICVS SCHOPEN,** collega coniunctissimus, qui, oratione habita, litterarum etiam certamina quem eventum habuerint publice declarabit, victorum nomina renuntiabit atque nova novis certaminibus argumenta proponet. Quibus solemnibus ut prompto lubentique animo intersint, Rectoris Magnifici Illustrisque Senatus huius Vniversitatis nomine **PROFESSORES AMPLISSIMOS, CLARISSIMOS DOCTORES, COMMILITONES ORNATISSIMOS VNA CVM PROCERIBVS ET MAGISTRATIBVS HVIVS CIVITATIS GRAVISSIMIS OMNIVMQVE ORDINVM ARTIVM LITTERARVMQVE CVLTORIBVS HVMANISSIMIS** qua decet observantia invitamus. **Q. D. B. V.**
